



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1143. Usque Ad Annum 1176

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1762**

**VD18 90118014**

§. 5. Papæ & Regis Friderici Colloquium.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66377](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66377)

ubi comiter excepti, & in ejus tabernaculum deducti, literas Apostolicas porrexerunt. Præter alia petebant, Arnaldum Brixensem sibi reddi. Is enim a Gerardo Cardinale Diacono S. Nicolai captus, & ex ipsius custodia a Vicecomitibus Campaniæ rursus abstractus, in manus Regis devenerat. Rex ut Pontificis Hadriani desiderio obsequeretur, illico Cardinalibus Arnaldum tradit, qui Romam perductus, ex judicio Clericorum, jubente Urbis Præfecto, stipiti alligatus, excitato circum igne vivus publice concrematus est. Cineres in Tiberim projecti, ne eos rudis populus tanquam Martyris reliquias honoraret. Hic seditiosi hominis exitus fuit.

Sæcul. XII.  
A.C. 1155.

Otto 2. Frid.  
c 20. Licu-  
rin. lib. 3.  
p. 324.

§. V.

*Papæ & Regis Friderici colloquium.*

Ceterum Fridericus Rex quoque Arnaldum Archiepiscopum Coloniensem, & Anselmum, electum Archiepiscopum Ravennatem vicissim ad Papam miserat, ut de ipsius coronatione cum eo tractarent. Ideo responsum Cardinalibus dare volebat, donec Archiepiscopi a se missi rediissent. Contra Hadrianus Papa, cui Fridericus suspectus erat, eadem arte & industria agebat, & Archiepis

*Alia.*

Q 2

pis

Sæcul. XII.  
A. C. 1155.

pis respondere differebat, donec Cardinales sui remeassent. Interim in civitate Castellana, quæ erat tutissimum præsidium, sese continebat. Itaque Legati utrinque re infecta redeuntes in via sibi occurrerunt, & communi consilio ad Regem prope Viterbium in castris comorantem se contulerunt. Ille se Pontifici omnem securitatem præstiturum esse promisit; statimque præsentibus Cardinalibus & Proceribus, Reliquiæ, Crux, & Evangelia afferuntur, super quæ nobilis quidam miles ex ceteris delectus, in animam Regis suamque juravit, Hadriano Papæ & Cardinalibus vitam, membra, libertatem; honorem & Bonam salva fore. Cum deinde duo Cardinales hæc Pontifici nunciassent, pollicitus est, se Regem esse coronaturum, locusque & dies, qua colloquerentur præstituta.

Papa a compluribus Proceribus Germaniæ, & magno numero Clericorum Laicorumque exceptus, ad Tabernaculum Regis deducitur. Cum autem Rex Papæ officium stratoris \* non exhiberet, Cardinales turbati ad civitatem Castellanam confugiunt. Hadrianus vero, & ipse perterritus, ex equo tamen descendens, in præparata sibi Cathedra honoraria resedit. Tunc Rex ad ejus vestigia procidit, & pedes osculatus, etiam ample-

\* equisonis.

amplexum pacis petiit, cui Papa respon- Sæcul. XII.  
 dit: *Quandoquidem tu mihi consuetum* A.C. 1155.  
*& debitum bonorem subtraxisti, quem*  
*Antecessores tui Imperatores orthodoxi*  
*pro Apostolorum Petri & Pauli reve-*  
*rentia Antecessoribus nostris Romanis*  
*Pontificibus usque ad hæc tempora exhi-*  
*buerunt, ego te ad pacis osculum non re-*  
*cipiam.* Rege autem id sibi faciendum  
 esse negante, tota sequens dies in ista  
 altercatione consumta est. Tandem  
 postquam Rex seniores Principes, qui  
 olim cum Lothario Imperatore ad Inno-  
 centium Papam venerant, interrogasset,  
 & prisca consuetudines diligenter inve-  
 stigari iussisset, statutum est, ut Frideri-  
 cus Hadriano Papæ illud obsequium præ-  
 staret, quod stratores dominis suis equi-  
 tantibus solerent. Idque altera die in  
 conspectu exercitus implevit, cum Papæ  
 equitantis stapedam, quantum est jactus  
 lapidis, fortiter tenuit. Tumque Pon-  
 tifex Regem ad pacis osculum recepit.

## §. VI.

*Legatio Romanorum.*

Inter hæc Romanorum cives, comper-  
 to Principis adventu, Legatos ad eum *Otto Fris. 2.*  
 mittunt, viros solertes & literatos, qui, *c. 21.*  
 fide publica accepta, Fridericum in ca-  
 stris inter Sutrium & Romam adeunt,  
 & orationem exordiuntur in hunc fer-